



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

XXV. Expediuntur aliquot dubia, quæ ex supradictis de matrimonio rato, & voto solemnè religionis oriuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

Vicarij Christi dissolui possit. Ergo etiam poterit per hoc medium dissolui, si expediat. Dixi autem, *quanti est ex parte sua*, quia ex parte causae dubitari potest, an sit sufficiens ut illa potestas in actum reducatur; nam, ut supra diximus, agentes de dispensatione voti, in his rebus, quae attingunt aliquo modo ius diuinum, & natura'e, ut usus potestatis dispensandi, vel immutandi aliquo modo talia iura sit validus, necessarium est, ut sufficiens causa intercedat. Iudicium autem de huiusmodi causa prudentiale est, & arbitratium, & ideo si ecclesiam hoc statuerit, facile diceremus non deesse sufficientem causam ad id statuedum, haecenus vero non iudicauit talem causam interuenire, saltem, ut huiusmodi institutio expediat, ut iam dicemus.

8. *Opinio asserentium per votum sacri ordinis dirimi matrimonium rati vultur.*

Loquendo ergo de facto, non deseruit Canonista qui dicerent per votum sacri ordinis dissolui matrimonium ratum, ita tenet Hostiensis in summa tit. de conuers. conu. §. *Et vtrum possit*. Sed haec sententia reprobata est a Ioan. XXI. in Extra. unica de voto, & argumentum Hostiensis est valde infirmum, se a simili, seu a paritate rationis: nam haec illat in his, qui pendunt ex iure positivo, & maxime in pen. libus, & irritatorijs decretis, nullius momenti est, & ideo merito Ioan. XXII. rationem reddit, quia hoc non inuenitur in iure, quia iura, quae de Religione loquuntur, non possunt ad factum ordinem extendi. Alij dixerunt per Episcopatum dissolui matrimonium ratum, esto non dissoluatur per inferiores ordines, etiam sacros. Quam opinionem tribuit Hostiensis Couar. in 4. 2. p. c. 7. n. 9. sed reuera opinio Hostiensis, est quam retulimus. Citat etiam Ioan. Lupum Segouiensem tract. de Matrimonio. Cuiuscumque vero sit illa sententia, probabilis non est: quia Episcop. praeter ex vi muneris, vel consecrationis non dissoluit matrimonium ex vi iuris diuini, ut manifeste supponit Paulus in epistola ad Tim. & Titum, & satis constat ex supra tractatis de antiquo more ecclesiae quoad hanc partem: votum autem castitatis, tam ex parte, videntis, quam ex statuto ecclesiae, idem omnino est in Episcopo, & subdiacono, nec maiores obligationes, aut plures effectus inducit in vno, quam in alio, quia nec ex natura rei hoc habet, neque ex iure Canonico: & ideo Ioan. XXI. simpliciter de sacris ordinibus loquitur, sub quibus Episcopatum includit, & e conuerso alia iura solum voto religionis huc tribuit effectum, tacite excludendo quemcumque alium statum, aut votum. & haec est communis sententia Theologorum in 4. d. 27. vbi Palud. q. 3. & alij. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 1. §. 3. & Iustitarum, quos refert, & sequitur Couar. supra.

9. *Ecclesia non hinc effectum attribuere voto sacri ordinis, vel Episcopatus.*

Hoc ergo supposito, ratio a priori huius diuersitatis, cum non proneniat ex defectu potestatis, pronenit ex defectu voluntatis, quia tamen voluntas ecclesiae rationalis est, ideo a nobis peti potest congruentia, ob quam cum ecclesia hoc statuerit in voto religionis, non indicauerit expediens idem statuere in voto Clericorum, etiam Episcopi, cum tamen eius status perfectior sit, quam religiosi. Prima ergo ratio reddi solet, quia coniugium, & religiosa professio ex natura rei repugnant, non ita vero matrimonium, & sacer. ordo. Quae ratio vtuntur non solum illi, qui putant hunc effectum esse ex iure diuino, vel naturali, sed etiam aliqui ex his qui sentiunt esse ex statuto Ecclesiae, ut patet ex Caiet. Bellarm. &c. Ne vero sit contradictio, & ratio sit alicuius efficaciae, intelligenda est de repugnancia non inter vincula, & obligationes, haec enim nulla est ex sola rei natura inter vinculum matrimonij, & religionis, ut supra ostendi, sed intelligenda est inter actus, & rationem viuendi, quam vtrumque vinculum requirit (loquitur de vinculo religionis perfecta, ut nunc militates relaxatas omittam, non enim sunt ad rem, cum earum professio non dirimat matrimonium ratum, sicut non impedit contrahendum.) Itaque alia professio religiosa postulat perfectam renuntiationem

seculi, & abnegationem propriae voluntatis, ac proprii corporis, rerumque omnium, coniugium autem e contrario postulat vitam secularem, & ideo dicuntur ex natura rei habere repugnantiam, quoad vsum vtriusque vinculi, & ideo fuit conueniens, ut quoad fieri posset, simul non manerent, maxime inuita altera parte, & cum iniuria illius, Clericatus autem per se non postulat renuntiationem seculi, & ideo nec obligatio muneris, neque usus eius habet ex natura rei repugnantiam cum coniugio, & vsu eius, sed solum ex Ecclesie ordinatione, quod verum est, non solum de sacerdotio, & alijs ordinibus infra illud, sed etiam de Episcopatu, quia licet status eius sit perfectior, non tamen per se obligat ad actum conuulorum, ut in simili dixit D. Th. 2. 2. q. 185. art. 6.

Vnde etiam sumitur alia congruentia, nam status religionis est status perfectionis acquirenda, & ideo, & requirit separationem ab vsu coniugij, & talis actus secularibus, & potestas illum profitendi conceditur omnibus, qui matrimonium non consummauerunt, etiam illius vinculo actus interfecti sunt, haec autem potestas non potest vni coniugum libere concedi, & independenter ab alio sine in iura eius, nisi dissolueno ipsum vinculum, quia alias maneret alter semper ligatus, & coactus ad seruandam perpetuam continentiam, quod fieri non potest. Quid vero infra Episcopatum, non constituit hominem in statu perfectionis, neque in via ad illam, & ideo licet propter reuerentiam sacri ministerij expediat semel ordinatum non transire ad nuptias, nihilominus non decuit propter ordinationem, quae perfectionis professionem per se non requirit, vinculum matrimonij dissolui. Episcopatus autem licet sit status perfectionis acquisita, & exercenda, non tamen per se includit media efficaciam ad perfectionem acquirendam, & ideo illi etiam tributum non est, ut dissoluat matrimonium ratum, finis enim huius privilegij est, hominem expeditum relinquere ad profectam perfectionis viam. Denique ad idem tendit alia ratio, quae reddi solet, quod professio religiosa est mors quaedam civilis, seu spiritualis, & ideo illi tributum est, ut dissoluat vinculum matrimonij, quamdiu est tantum spirituale, vel est in puro matrimonio rato, nam si sit consummatum, iam vinculum quodammodo carnale est, & ideo non soluitur nisi per mortem naturalem, seu corporalem, in ordinatione autem, vel Episcopali consecratione nulla interuenit mors civilis, quia nec propria voluntati, nec bonis temporalibus in ea renuntiat, & ideo neutrum vinculum matrimonij dissolui potest.

CAPVT XXV.
Expediuntur aliquot dubia, quae ex supradictis de matrimonio rato, & voto solemnium religionis oriuntur.

Circa executionem autem huius effectus, possunt multa dubitari, quae vel facilia sunt, vel ad materiam matrimonij magis spectant, & ideo per breues interrogationes illa expediemus. Primo ergo interrogari potest intra quod tempus teneatur coniug. post matrimonium ratum reddere debitum, vel ingredi religionem, si velit. Respondet, intra duos menses ad alterutrum horum obligari, c. *expulso*, de conuers. coniug. quae textum glossa & interpretes intelligit de ingressu religionis, non tantum quoad susceptionem habitus, sed etiam quoad professionem, & ideo non censentur remissus illud esse praescriptum ac regulare, sed in casu illius textus fuisse a Pontif. praefixum, iuxta occurrentes circumstantias, ordinatae autem a bitrio iudicis praescribendum esse, posseque, & augeri, & limitari. Vnde si equetius sentiunt, non debere alterum coniugem, qui in seculo manet, cogi ad expectandum integrum annum probationis, sed illum esse abbreviandum a bitrio Episcopi, iuxta

iuxta glossam in c. statum, de Regularib. & glossam in c. desponsam 27. q. 2. que hoc limitat nisi sponsa ingrediatur Religionem, de licentia sponsi, nam per illam licentiam videtur cedere iuri suo; at vero Theologi frequentius intelligunt dari tempus duorum mensium ad deliberandum de ingressu religionis, quoad ipsam habitus receptionem, ut patet ex D. Th. in 4. d. 27. q. 1. 3. q. 2. ad 2. ubi etiam alias causas eius dilationis assignat, sc. propter solemnitatem nuptiarum, & ne maritus vilem habeat datam, q̄ non suspiravit illatā, ut dixit Aug. 8. Confess. c. 3. c. institutum 27. q. 2. Idem Sot. ibi q. 1. a. 4. & significant Dur. ac Palud. q. 3. Qui omnes huic bimestri temporis censent posse addianum pbationis, quia nec Religio tenetur cedere iuri suo, ut p se notum videtur; nec etiam notitius, sed vti potest favore à iure concessio, quia licetia ingrediēdi religionē absolute concessa intelligitur dari secundū ius, & hec fuit opinio Hostiensis in summa, quāquam non negēt hi auctores in aliquo casu quādo timere tur fiaus, aut dolus, potuisse tempus illud per Episcopum coarctari, q̄ notavit etiā Richard. a. 2. q. 2. ad 2.

Sed quod attinet ad annum probationis, quæstio non habet, in nullo ergo casu potest hoc tempus diminui in gratiam alterius coniugis in seculo manentis, nisi de licentia Papæ. Quod etiam locū antea habuit, quoad ordines mendicantes, iuxta c. non solum, de regular. in 6. & notavit Ant. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 1. & Sylvest. verbo *diuorium* q. 3. indicat D. Th. in 4. d. 27. q. 1. 3. quæstionula 3. ad 3. ubi addit, si professio fiat ante annum, maritum posse renouare vxorem, & illā teneri ad reddendum debitum, non tamen posse petere. Sed hoc vltimum procedebat de iure antiquo, nam iuxta Tridentinum ex illa professione nulla obligatio nascitur sess. 25. c. 15. de regular. Non relinquit ergo obligationem etiam voti simplicis, poterit ergo non solum reddere, sed etiam petere.

Quod vero spectat ad tempus ante primum ingressum, non possumus negare sponsis aliquod tempus liberum ad deliberandum de ingressu, quia res gravis est, & solet Deus hominem vocare etiam post sponsalia. De tempore autem duorum mensium non inuenio ius certum, propter ea quæ dixi. Probabilis autem est opinio Theologorum, & fortasse est vsu receptum, nihilominus tamen arbitrium iudicis excludendum non est.

Secundo interrogari potest an satis sit copulam præcessisse ante matrimonium ratum: videtur enim matrimonium illud iam esse consummatum, nam si iij nati ex tali copula, legitimi consentur, ergo, & copula ipsa matrimonialis reputatur. Nihilominus dicendum est tale matrimonium dissolui per professionem subsequenterem, ita Sylu. verbo *diuorium* num. 3. Conart. in Epitome 4. Decretalium 1. p. c. 4. §. 1. n. 16. qui alios refert, & probatur sufficienter ex dictis iuribus, q̄ in vniuersum loquuntur de matrimonio nondum consummato per copulam. At vero copula præcedens non potest dici consummare matrimonium subsequens, tum quia perfectio debet supponere pfectibile, tum etiam, quia illa copula non fit legitima per subsequens matrimonium quoad veritatem, licet fictione iuris in bonū prolis, & in fauorem matrimonij tanquā legitima reputetur: hic autē non fictio, sed veritas attendenda est, quia pcedens copula nō complet significationem matrimonij postea contracti. Et potest confirmari à simili, ex cap. *veniens* 2. de sponsalibus, ubi copula subsequens sponsalia censetur iure antiquo impedire matrimonium subsequens, quia pfacebat prius, non vero quando antecedebat sponsalia. Cuius ratio est, quia copula antecedens nō censetur fieri maritali affectu, sicut subsequens; ob eandem ergo rationem copula antecedens matrimonium ratum, non consummat illud, licet postea sequatur.

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

Sed quid si copula illa, quæ præcessit, per vim, & iniuriam facta fuit: Respondeo quantum ad presentem effectum spectat, id nihil referre, nam licet forte ille grauitur peccet ingrediēdo religionem, cum tam graui iniuria alterius, nihilominus professio valida est, quia nullo iure irritatur. Itē quia non minor fuisset iniuria ingredi post raptam virginem ante matrimonium ratū, quam post illud: imo quodammodo fuisset maior, quia p subsequens matrimonij vinculum aliquantulum minuitur prior iniuria, sed si postea nō interuenisset vinculum matrimonij, professio esset valida: ergo idem est, etiam si interueniat vinculum matrimonij, signum est enim iniuriam non obstat, solum autem matrimonium ratum non obstat: nihil est ergo, quod impediat; at professio valida irritat matrimonium ratum non consummatum, quid quid sit de alia iniuria, nulla enim exceptio quoad hoc in iure fit, ergo. Dixi autem id nihil referre quoad hunc effectum; quia ex alio capite posset crimen illud præcedentes raptus impedire subsequenterem professionē, si deductum esset ad forum contentiosum ex nouo motu proprio Sixti V. de quo supra dictū est, ad rem enim præsentem nihil refert, petinde enim impediret, etiam si matrimonium ratum non præcessisset.

Tertio interrogari potest, quid dicendum sit, si copula subsequuta est post sponsalia de futuro. Nam Couarruu. supra indicat in eo casu non posse sponsalia dissolui per subsequens votum solenne. Quæ sententia haberet quidem locum iuxta antiquum ius, quando matrimonium clandestinum erat validum, saluā de iure, nam tunc simul psumebatur contrahi, & cōsummari per copulam subsequenteram ad sponsalia de futuro, & ideo tale vinculum non potuisset dissolui per subsequens votū. Si quis autē recte consideret, illa copula, nō potest tantū dici subsequuta post sponsalia de futuro, sed etiam post matrimonium de presenti, saltem ordine nature, vel etiā antecessione temporis, quamuis breuissimi. Quod patet, quia illa copula, non erat fornicaria, sed coniugalis, ob eam enim causam illud psumebatur esse matrimonium, ergo necessarium erat, vt talis copula supponeret matrimonij vinculum, & mutuam corporum traditionē, quia hoc est de essentia copulæ coniugalis. Declarari autem potest illa antecessio, vel secundum naturæ ordinē, quia illa cōiunctio intelligitur præcedere in ratione signi mutui consensus in reciprocā traditionē, subsequi autem in rationem huius rei iam traditæ, vel melius secundum ordinē durationis, quia cū actus ille prius tempore inchoetur, quā consummetur, quia successiue perficitur, per illū perficiebatur vinculum matrimonij, cum primū actus inchoabatur, cum tamē matrimonium nō sit consummatū, donec copula cōsummata sit, vt statim dicitur. Ratio a. prioris partis est, quia ipsamet inchoatio proxima talis actus, erat sufficiens signū mutui consensus de presenti, quā hoc erat necessarium, vt totus actus esset licitus, & copula cōiugalis.

Hæc autem præsumptio Ecclesiæ nunc locum non habet, quia nullum signum manifestatiuum consensus, est sufficiens post Concil. Trident. ad perficiendum vinculum matrimonij, nisi exhibeatur coram parcho, & testibus, q̄ de copula matrimonij, cogitari nō potest. Vnde licet nunc copula sequatur post sponsalia de futuro, & postea contrahatur matrimonium de presenti corā parcho, & testibus, dissolui poterit antequam per aliam consummetur, per subsequenterem professionem religionis, quia præcedens copula simpliciter fornicaria fuit, & nō coniugalis, & ita procedūt omnia ad ducta in pcedenti puncto.

Quarto interrogari potest, an matrimonium censetur cōsummatum quoad hunc effectū, quādo copula subsequuta est per vim, videtur enim non sufficere, sed quia illa copula est inuoluntaria, quia supponitur

5. Sed quid si talis copula per vim iniuriam fuerit.

6. Dubium tertium. An si copula subsequuta est post sponsalia de futuro, per subsequens votum solenne, talis sponsalia dissolui possunt.

7. Resolutio.

8. Dubium quartum. An quoad hunc effectum quia illa copula est inuoluntaria, quia supponitur

Sum copula per vim consummat matrimonium rati.

esse per vim; ergo non complet significationem sacramentalem, quia non potest significare perfectam unionem, quam significare debet sacramentum; ergo non est sufficiens ad consummandum matrimonium, quia copula in tantum consummat vinculum matrimonij, in quantum complet significationem sacramentalem, tum etiam quia nemo debet priuari sua libertate, propter iniuriam sibi factam, sed qui cogitur consummate matrimonium, iniuriam patitur; ergo ob talem copulam debet priuari libertate ingrediendi religionem.

9. *Resolutio.*

Nihilominus communior sententia est, illam copulam sufficere, ut tale matrimonium dissolui non possit. Tenet Duran. in 4. d. 27. q. 2. n. 15. & ibi Palud. p. 3. q. 20. cum Hostien. in summa, tit. de conversione conjugatorum, §. *quid si virgo*. Sequitur Antoninus 3. p. tit. 1. c. 21. §. 1. Couar. qui alios refert, in Epit. 4. 2. p. c. 7. n. 10. Ratio est, quia non obstante vi, illa copula est coniugalis; ergo per illam perfectum est, & omnino consummatum matrimonium. Antecedens patet, quia in illa copula neque est malitia fornicationis, quia non est accessus ad alienam; neque etiam est malitia raptus proprie dicti, quia est usus rei propriae, quamvis indebito modo, unde copula illa quoad substantiam bona est, & legitima, atque ita ratione illius locum habet in talibus personis illud, *Quos Deus coniunxit homo non separet*; propterea non deest ibi significatio unionis Christi cum Ecclesia, seu verbi cum humanitate, quia haec significatio non fundatur in consensu animo cum, nam haec significatio pertinet ad ipsum vinculum, sed in ipsa corporali, & naturali coniunctione procedenti ex priori vinculo, etiam si non procedat ex praesenti consensu in ipsam copulam.

10.

Atque ita patet responsio ad priorem rationem dubitandi. Ad posteriorem respondet Durandus, illam vim non esse omnino iniuriosam, quia maritus vitur re sua: sibi autem (ait) imputet mulier, quae volens ingredi religionem non se sufficienter custodivit. Unde significat tale matrimonium non solum non posse dissolui per ingressum religionis, sed etiam coniugem, quae passa est vim, non posse ingredi religionem, aut valide profiteri, sine licentia mariti. Quod expressius docuit Richar. in 4. d. 27. a. 2. q. 4. ad 1. At vero Palud. exiimat in eo casu posse vxorem, quae passa est vim, ingredi religionem, invito marito, & profiteri valide, etiam si per tale professionem factam, quia non potuit inuita perdere ius suum, nec ille ex delicto debet acquirere privilegium ne plus habeat luxuria, quam castitas. Unde videtur consequenter sentire (quamvis ei oppositum tribuat Antoninus) non posse tunc matrimonium reuocare vxorem a monasterio; nam si ratio facta valida est, hoc probat, alio qui plus valeret luxuria, quam castitas, & maritus per vim illatam acquisiuit sibi tale ius. Item quia parum prodesset feminam illa professio, essetque potius onerosa, quam fauorabilis, si posset a marito reuocari. Atque haec sententia Paludani, si humana coniecturam spectemus, nihilominus in rigore iuris, & praesertim in iudicando in foro Ecclesiastico prior sententia videtur sequenda; nam iura absolute disponunt post matrimonium consummatum non posse unum coniugem ingredi religionem sine consensu, & conuersione alterius; nec distinguunt de consummatione facta sine vi, aut cum illa. Ergo neque nos distinguere debemus, cum nihil sit, quod sufficienter cogat. Item cum matrimonium illud non soluitur, oportebit cogere maritum manentem in seculo, ad seruandam, & profitendam perpetuam continentiam, quod difficile est, & nullo iure fundatum. Probabilius ergo est posse reuocare vxorem suam, ut docuerunt etiam Hostien. & Antoninus supra. Unde fit consequens ipsam non posse ingredi sine consensu mariti; & pro-

fessionem aliter factam nullam esse; haec enim omnia connexa sunt. Ad rationem autem in contrarium respondemus, illa incommoda per accidens sequi. Nam vno inconuenienti dato, alia sequi solet, & quantum ad modum temporale, seu carnale, sepe contingit, ut aliquis reporter illud ex peccato suo; sed non propterea fit melioris conditionis, cum maiora bona amittat.

Dixi autem hoc certius esse, quoad iudicium ferendum in foro Ecclesiastico; quia quoties copula inter sponsum intercedit, praesumitur consensus in illa, nisi violentia euidenter probetur, argumento est, *in super*, qui matrimonium accusare possunt, & docet Hostien. supra. Difficile autem est, talem vim probare, & ideo regulariter talis copula voluntaria praesumitur. Maxime autem hoc habebit locum si coniux sit in mora, & iam erat tempus elapsum, post quod tenebatur reddere debitum; nam tunc iniuria illata a marito vel nulla, vel lenis fuit, & ideo propter illam non debet priuari iure suo, neque ad perpetuam continentiam cogi. In eo ergo casu certius est, non posse vxorem invito marito ingredi religionem, aut valide profiteri. Quod vero vis intra legitimum tempus alteri ad delibendum concessum illata est, res est magis dubia in foro conscientiae; tam quod diximus securus est; quia honestas, & valor huiusmodi actionum pendet ex dispositione iuris positivi, & ideo forum conscientiae in hac materia non discordat a foro Ecclesiastico, nisi ubi certo constat, hoc posterius in praesumptione fundari. Et hoc magis confirmabitur ex puncto sequenti.

Quinto enim interrogari potest, an copula debita, & nondum exhibita sufficiat impedire huiusmodi votum, seu religionis ingressum. Contingit enim vnum coniugem nimium differre ingressum, & consequenter iniuriose negare debitum alteri, petenti illud pro eo tempore, pro quo alius reddere teneatur; idem enim vocamus copulam debitam. De qua certum est, si re ipsa non consummetur, nunquam ita impedire votum solenne, quin si fiat, factum teneat, & praecedens matrimonium dissoluat. Quia non obstante illo debito, matrimonium illud re ipsa nondum est consummatum, nec vir & vxor facti sunt vna caro, neque habet completam significationem, & consequenter nec omnimodam indissolubilitatem. Et in hoc conueniunt omnes auctores; imo addit Palud. dict. d. 27. q. 3. n. 20. in fine, non sufficere copulam attentatam, nec dum debitam, quia verba (inquit) debent intelligi cum effectu, & quia, donec matrimonium re ipsa sit consummatum, non significat insolubile Christi unionem, cum humana natura. Quid autem necessarium sit, ut copula sit ita perfecta, ut matrimonium dicatur esse plene consummatum, in materia de matrimonio disputandum est, & non est res digna multa speculatione. Videri potest Corduba in summa q. 178. Sor. in 4. d. 27. q. 1. a. 4. Sylu. verb. *Matrimonium* 8. q. 15. in fin. 2. conclus. & ceteri Theologi agentes de affinitate in 4. d. 41. vbi specialiter D. Th. a. 1. Hinc tandem inuenimus casum alium, in quo sponsa inserendo iniuriam alteri reporter hoc commodum, ut possit valide profiteri sibi invito, quod facere non possit, si ius suum alteri tribuisset. Sicut ergo hoc non est inconueniens, quia est quid accidentarium, ita nec illud quod in superiori puncto tractatum est.

Quod ergo in dubium verti potest, solum est, an in eo casu possit coniux non solum valide, sed etiam licite religionem ingredi, & profiteri, non obstante priori dilatione. Videri enim potest id non licere, nam debitor qui tenetur non differre solutionem ultra certum terminum illo transacto, pro singulis momentis continuo obligatur ut soluat quamprimum possit, ergo si maritus in ius petendo debitum, non potest sponsa licite amplius differre solutionem ingrediendo monasterium. Nihilominus censo quantumcumque peccatum sit sponsum, vel sponsam, nimium differendo, & uultu negati-

negando debitum, nihilominus si respuerit, & bona fide voluerit statim ingredi religionem, existimo posse licite id facere, quia nullo iure prohibetur ex vi præcedentis mortæ; nec etiam tenetur priorem iniuriam restituere, cum tanto onere, ut non possit licite ingredi religionem, cum adhuc sit habilis ad illi statum. Quin potius illa iniuria negandi debitum talis esse videtur, ut natura sua non obliget ad restitutionem, qui enim restitui potest? non enim consistit in illatione alicuius damni, sed in negatione cuiusdam usus, quæ omnino transiit, & non relinquitur damnum reparabile. Dices, in præfenti casu relinquere hoc nocumentum, quod matrimonium non sit effectum omnino indissolubile. Sed hoc non existimatur verum nocumentum, quia libertas, quæ inde resultat, utriq; parti communis est, & ad bonum spirituale se ordinatur, & ideo ex eo capite non oritur obligatio restituendi; ergo non obstante culpa præterita, quæ per penitentiam dilui potest, poterit quis licite statim ingredi religionem, nec censetur esse in noua mora soluendi, quia nunquam ita determinate tenetur reddere debitum, quin habeat ius eligendi ingressum religionis sine noua mora. Atq; hoc quidem erat factus secundum antiquum ius quando poterat quis renuntiare anno probationis; nunc autem difficultus videtur post longam, & iniustam moram cogere alium ad expectandum annum integrum. Sed nihilominus idem dicendum censeo, quia ius nouum Concilij Tridentini nemini abstinere facultatem ingrediendi religionem, quam antea habebat; neq; est inconueniens, quod ex vniuersali lege propter fauorem religionis lata, illa priuata incommoda sequantur.

Sexto interrogari solet, si maritus non consummat matrimonium, tradidit autem vxorem alteri ad adulterandum, an possit postea religionem ingredi vxore inuita? Nam Sylu. verb. *Diuortium* q. 1. in fine negat, quia per illam iniuriam mulier acquisiuit speciale ius in corpus viri. Idem sentit Richard. in 4. d. 35. a. 2. q. 2. licet non tam generaliter loquatur, sed quando maritus tradit vxorem con sanguineo; citat caput *discretionem*, de eo qui cogn. con sanguin. vxoris suæ. Sed hic duo supra tacta distinguere possunt, scilicet an maritus in eo casu possit ita ingredi inuita vxore, ut professio facta teneat, & an licite fieri possit. Quod priorem partem non dubito, quin talis professio valida sit, & matrimonium dissoluat, siue vxor tradita sit con sanguineo, siue extraneo; hoc enim videtur accidentarium, & extrinsecum ad rem presentem, & siue vxor coacta, siue volens tradita sit. Ratio est, quia illud matrimonium non est consummatum, ut per se est euident, ergo comprehenditur sub generali iure, quo matrimonium ratum, & non consummatum per professionem validam dissoluitur. Quod a. illa professio valida sit, simili argumento demonstratur, quia nullum inuenitur ius irritans illam, nam omnia iura canonica irritantia professionem factam ab vno coniuge, sine licetia alterius, loquuntur de matrimonio consummato, ergo non comprehendunt casum illum, nec vero potest cum probabilitate dici, in eo casu professionem esse iure naturali irritam ratione præcedentis iniuriam, quia iniuria solum potest obligare ad aliquam restitutionem, in superioribus autem ostensum est, non esse professionem irritam propter obligationes, aut debita antecedentia non soluta.

Quod ergo spectat ad alteram partem, si vxor non inuita, sed volens tradita est alteri, tuta conscientia maritus poterit ingredi religionem ipsa eam inuita, quæ licet grauius peccauerit consulens, vel consentiens adulterij vxoris, proprie tamen non fecit illi iniuriam, quia volenti non fit iniuria, ergo nihil est, quod in conscientia illum detinere possit ab ingressu religionis. Quando autem vi aut metu graui illam coegit, videtur probabile non posse licite illam deserere, & ingredi

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

religionem, nam fecit illi grauissimam iniuriam, & nocumentum illatū grauissime augetur, & quodammodo irreparabile fit, si viri religioni proficatur, & ita matrimonium dissoluatur, & in hoc casu specialiter loquuntur Sylu. & Richard. & cum dicunt non posse, intelligere videntur licite. Et si crimen illud deductum esset ad forum contentiosum, ex alio capite esset persona illa inhabilis ad professionem per motum proprium Sixti V. supra citatū. Nihilominus secluso hoc impedimento Sixti V. si maritus possit iniuriam illam alia via refarcire, & id faciat, existimo posse & licite & valide ingredi religionem inuita vxore, quia nullum est ius, nullave ratio, quod illum cogat ad satisfaciendum, per tali iniuriam per illum speciale modum, scilicet permanendo in matrimonio, & consummando illud. Si autem non possit alia via remedium adhibere nocumento illato vxori, est probabilis dicta sententia, abolutum autem iudicium ferendum est ex dictis supra, in generali de modo quo debita, vel obligationes impediunt professionem religiosam. Capitulum vero *discretionem*, ad presentem causam nihil facit, nam ibi solum dicitur virum posse cogi ad recipiendam vxorem, & cohabitandum cum illa, quia non potest ei obijcere crimen adulterij: ibi autem non tractatur, an vir possit cogi, etiam si velit ad altera vota religionis transire.

Septimo interrogari potest, an soluatur matrimonium per professionem, quando uterq; sponsus professus est religionem, vel alterum proficente, alius simplex votum castitatis emisit. Potest autem hoc dupliciter accidere, primo merè contingenter, & sine pacto mutuo: vel ex directa intentione, & conuentione. De priori modo non videtur posse esse dubium, quia ea, quæ sunt per accidens, non possunt impedire effectum, cum quo non habeant repugnantiam, & quæ alias per se sequitur, & a fortiori patet ex dicendis. In posteriori ergo casu videtur loqui Palud. in 4. d. 27. q. 3. a. 2. concl. 2. cum ait coniugem, qui post matrimonium ratum, & nondum consummatum, votum simplex castitatis emisit, compare proficente, non posse postea valide matrimonium contrahere, quia vinculum matrimonij durat, & idem dicit, si uterq; religionem proficatur, scilicet non dissolui vinculum, quia sunt conformes in proposito castitatis. Paludanus autem nullo iure hanc suam sententiam probat, & ideo non facit illam probabilem, nam quod hoc vinculum in huiusmodi casu soluatur, necne, ex iure omnino pendet. Quapropter existimo verius esse dissolui hoc vinculum quouiescung; alter coniugum proficetur, etiam si alter emittat votum simplex castitatis, vel etiam proficatur ex condictione, & mutua conuentione. Probat, quia iura absolute dicunt matrimonium ratum solui per subsequenter professionem in religione approbata: ergo multo magis dissoluetur per professiones, quia non se impediunt, sed potius censeri possunt, quasi duæ causæ totales, & singulæ sufficientes ad illum effectum. Quod si ex altera parte votum sit simplex, quamuis proprie non cooperetur ad illam effectum, magis tamen iuuat, quam impedit, quia tollit resistentiam, si quæ esse posset ex parte coniugis. Item nullum ius resistit in eo casu dissolutioni talis matrimonij, cur ergo votum alterius coniugis resistit? Nam quod sint conformes proposito castitatis, potius cõfert, ut facilius vinculum dissoluatur. Dicitur fortasse impedire intentionem vouentium, nam dum ita inter se conueniunt, virtualiter videntur nolle vinculum dissoluere: sed hoc in primis grauis dicitur, nam potius videntur verè separari quàm possunt, vel quod frequentius fortasse accedat, nihil de hoc cogitant. Deinde esto cogitent & formaliter etiam velint, ut matrimonium non soluatur, nihil obstat existimo, quominus soluatur, quia supposita professione alicuius, non pendet dissolutio ex eorum voluntate, sed ex

16. Dubium septimum. An dissoluitur matrimonium per professionem, quando uterque sponsus professus est religionem, vel alterum proficente, alius simplex votum castitatis emisit.



iure, cui ipsi non possunt resistere, quia absolutum est, & non conditionatum.

17.
Corollaria
ex proximo
dictis.

Vnde infero primo, si alter coniugum, qui votum simplex castitatis emisit, altero proficere, postea matrimonium contrahat, matrimonium esse validum, quia simplex votum illud non dirimit, nec matrimonium præcedens impedit, quia solum iam est; peccabit autem sic contrahens, nisi prius sui voti dispensationem obtineat. Infero secundo, si vterq; professionem emisit, & alter postea obtinuit dispensationem voti solennis castitatis, licite, & valide posse cum alio matrimonium contrahere, quia nihil est, quod impediatur, cum vtrumq; vinculum, matrimonij, & professionis, ablatum sit; prius per sequentem professionem, posterius per dispensationem. Atque eadem ratione, si vterq; post professionem emissam, dispensationem vtriusque voti per possibile, vel impossibile impetrent, non possent inter se convenire, nisi de novo matrimonium inter se contraherent: Quin potius vnusquisq; eorum possit contrahere cum alio si vellet; hæc enim omnia euidenter sequuntur ex fundamento posito, quod primum matrimonium dissolutum fuit. Nec est inconueniens, quod possit transire ad secundas nuptias, qui per suam professionem prius in matrimonium rupit, interueniente legitima dispensatione, vt in superioribus dictum est. Et eadem ratione non est inconueniens, quod inter easdem personas possit duplex matrimonium ratum successiue fieri, quando interuenit alterius, vel vtriusq; ciuilibis mors, per professionem, & postea veluti resuscitatio quadam, per dispensationem, sicut interueniente naturali morte dissoluitur matrimonium etiam consummatum; si autem suscitarentur, mortui possent iterum inter se contrahere, non autem inter se copulari sine nouo contractu.

18.
Dubium
vtrum
votum
dissoluit
matrimonium.

Octauo interrogati potest, quid ex parte religionis requiratur vt votum in ea emissum habeat huc effectum dissoluedi matrimonium ratum. Quæ interrogatio potest habere difficultatem aliqua de tempore ante Innocentium III. quando ad veram professionem religionis necessarium non erat, religionem esse specialiter approbatam per summum Pontificem, de quo tempore iudicandum est, iuxta modum probationis, quæ illo tempore sufficiebat: formaliter enim, (vt sic dicam) semper existimo fuisse necessarium talem esse religionem, vt votum, seu professio in ea emissæ redderet personam inhabilem ad matrimonium, vt ex superius dictis constat, nunc autem necessarium omnino est, religionem esse approbatam à summo Pontifice, iuxta c. vltimum, de relig. Domib. & cap. vnicum, eodem tit. in 6. quia alias votum non est solenne, iuxta caput vnicum, de voto in 6. & ideo non potest dissolueri matrimonium prius contractum; & ita significauit Ioan. XXII. in sua Extrauag. vnica de voto, ibi, *Nisi aliquam de relig. gnomis approbatis, vbi glossa id adnotauit, & consentiunt communiter Theologi, in 4. d. 27. & 38. Sylu. verb. Diuortium q. 3. vnde infert profitescentes tertium ordinem B. Francisci non liberari vinculo matrimonij rati, quia ordo ille non est approbatus in ratione status religiosi. Idem Panorm. & alij in c. ex parte, de conu. coniug. Intelligendum est autem de his, qui non viuunt in communi, & profitentur regulam iuxta declarationem Xliti IV. quæ rationem habet approbationis.*

19.

Deinde necessarium est, vt professio sit integra, & perfecta, id est, non relaxata, quoad ipsa vota; quod aduerto propter religiones militares, in quibus solum iam vouetur castitas coniugalitatis, de quibus manifestum est per earum votum non dirimi matrimonij ratum, quod Sor. extendit etiam ad Milites S. Ioannis. Oppositum tamen verius est, vt infra suo loco dicemus, & notauit Corduba in summa q. 178. quia illa professio

adhuc integra manet, quoad totam substantiam voti castitatis. Hinc vero oriebatur quæstio, de religiosis Societatis nõdum solenniter professis, an eorum votum dirimat præcedens matrimonij ratum. Sed de hoc infra in proprio loco dicetur: Nunc partem negantem vt probabilitorem supponimus. Alia etiam hic quæstio occurreret de Eremitis, an per eorum statum, & votum dirimatur matrimonium. Id enim affirmat Palud. supra, & Antonin. 3. p. tit. 1. c. 21. §. 3. sed oppositum est verum, vt dixi supra disputando de voto simplici castitatis, & nunc est certum, quia talis status nõ est per sedem Apostolicam vt religio solus approbatus.

CAPIT. XXVI.

Verum in solenne votum castitatis religiose cadere possit dispensatio.

Hæc quæstio in duplici sensu, (vt de paupertate diximus) disputari potest; vnus est an votum castitatis solenniter per professionem religiosam, legitimum dispensationem ipsius professionis dispensari possit; vel potius necessarium, & quasi consecutione quadam dispensetur, & totaliter aufertur. Alter sensus est, an perseuerate vinculo professionis quoad substantiam eius, & conuenienter durante etiam voto solenni continentia, quoad alias obligationes eius, possit dispensari cum tali persona, quoad aliquum vsum castitatis. De priori sensu pauca superest nobis disputatio, suppositis, quæ supra diximus de dispensatione in professione religiosa. Et ita omnes auctores ibi citati pro sententia nostra, quæ asserimus posse Pontificem dispensare in professione religiosa, faciendi de Religioso professio non religiosum, affirmant in eodem casu, & ex eadem causa posse votum solenne castitatis omnino auferre: quin potius multi eorum expressius de voto castitatis id affirmant; alij inter illud, & professionem nihil distinguunt. Auctores etiam, qui negant hoc votum posse dispensari, in hoc maxime fundantur, quod professio ipsa dispensabilis nõ est; supposita autem professionis dispensatione, nullus eorum negaret castitatis votum, & obligationem cum illa conuenienter tolli posse. Ex illa ergo hypothese dici potest hæc communis omnium sententia, quæ eidem rationibus fundari potest, ac defendi, quibus circa professionem vsi sumus.

Duo autem in hoc puncto addenda hic occurrunt. Vnum est, non solum posse, sed etiam necessaria consequentia auferi votum castitatis religiose, ablato vinculo professionis, quando simpliciter sit dispensatio, nullo imposito onere, neque acceptato ab eo qui dispensatur. Probat, quia votum illud non fuit emissum, nisi vt annexum tali professioni, & statui, ergo ablato statu, & professionis vinculo, consequenter aufertur votum. Confirmatur, ac declaratur, quia ablata professione aufertur solennitas voti, tum quia tota solennitas illius voti est ratione professionis, iuxta c. vnicum, de voto in 6. tum etiam, quia ablato vinculo professionis persona iam non manet sub dominio Religionis, sed sit sui iuris ac potestatis, & consequenter manet habilis ad matrimonium; ergo ablata est solennitas voti: ergo & votum ipsum, quia ex intentione vouentis non est factum, nisi vt solenne, & quali ad confirmandam traditionem factam in tali statu. Et ideo traditio sublata ipsum etiam euanescit. Sicut quando contingit professionem fieri in aliqua religione, & ex impedimento occulto esse nullam, consequenter etiam votum castitatis nullum est, nullamque inducit obligationem voti simplicis, nisi vel aliud constet de intentione vouentis in iure, vel aliud sit in aliquo speciali casu expressum.

Secundo addo, moraliter loquendo, nõ posse saltem licite dispensari in professione, vel solennitate huius voti, quin in voto ipso dispiciatur. Dico, moraliter